



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Sectio I. Aliquæ differentiæ inter actus fidei commemor[n]tur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

Autoritatis diuinæ cum veritate mysterij reuelatij quia, vt vidimus, non possumus firmiter assentiri conclusioni, quam motiuo: cum ergo connectio auctoritatis diuinæ cum mysterio moueat etiam partialiter ad credendum mysterio, repugnat vacillare aliquem circa veritatem illius connexionis, & adhuc firmiter retinere veritatem mysterij propter connexionem cum auctoritate diuinā. An verò iudicandus esset hæreticus, qui negaret consequentiam illam, vel diceret illationem non esse certam; respondeo, per se loquendo nisi ignorantia excusetur, esse hæreticum: quia dicere illationem illam esse incertam, esset dicere quod possit sequi falsum ex illis principiis, scilicet ex Dei veritate infinita, & reuelatione actuali: quare implicite diceret, non esse certum, quod licet Deus sit summè verax, & aliquid reuelet, adhuc res reuelata debeat esse vera, sed fortasse posse esse falsam. Hæc autem assertio explicita; contingere potest, quod res à Deo summè veraci reuelata sit falsa, vel certe de hoc dubitari potest: per se loquendo, hæretica est, vt constat ex disp. 4. sect. 2. vbi vidimus, de impotentia Dei ad mentendum, vel testificandum aliquid falsum.



DISPUTATIO VIII.

De vnitæ fidei, vbi de eius definitione.

- SECT. I. *Aliqua differentia inter actus fidei enumerantur.*
 II. *Quomodo differant Credere Deo, Credere Deum, & Credere in Deum, vbi etiam de fide miraculorum.*
 III. *Proponuntur & examinantur definitiones fidei.*

Complectemur hic aliquas faciliores questiones de actu fidei, quas tamen, quia communes ferè sunt ad eius habitum, non oportebit postea repetere, quando de habitu agendum erit. Dicemus in primis de vnitæ, quam fidei actus habent, & de diuersitate, quæ inter ipsos inueniri potest.

SECTIO I.

Aliqua differentie inter actus fidei enumerantur.

- I. **S**i setmo sit de fide in tota sua latitudine, sub sea comprehenduntur fides supernaturalis, & naturalis, hoc est, infusa, & acquisita, quæ duæ specie, & genere differunt, vt constat. Deinde loquendo de fide solum infusa, & supernaturali in sua etiam latitudine, comprehendit actus intellectuales, quibus assentimur, & actus etiam voluntatis, seu piæ affectionis, à quibus completur fides in ratione virtutis honestæ, & meritoria: comprehendit etiam habitum intellectualem, & habitum voluntatis, qui vterque habitus, & vterque actus constant vnam virtutem integram fidei

constantem ex constitutis partialibus specie diuersis.

Suppono etiam in intellectu præter habitum infusum dari etiam, & requiri species intellectuales ad eliciendos actus fidei: de quibus species est questio, an debeant esse etiam supernaturales, an verò sufficiant species naturales: de quo dicemus infra, quando agemus de supernaturalitate fidei, vbi etiam videbimus de apprehensionibus ipsius præcedentibus assensum, an sint naturales, vel supernaturales. Suppono denique, præter habitum, & species non requiri aliam qualitatem supernaturalem, quam aliqui appellant lumen, & dicunt esse aliquid superadditum, quos tacito nomine refert Coninch. disp. 6. dub. 1. n. 10. & impugnat n. 14. quia, licet Deus dicatur creditibus infundere lumen 2. ad Cor. 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illius in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ, & 1. Petri. 2. Qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumen suum: id tamen non intelligitur de lumine euidentiæ, quo res ipsæ credendæ clarè cognoscantur, sed de claritate circa credibilitatem mysteriorum, & de apprehensionibus præcedentibus assensum fidei, & aptè proponentibus obiecta, licet non euidenter, & denique de habitu fidei, & aliis auxiliis præcedentibus, quæ omnia appellantur lumen quatenus faciunt, vt cognoscamus, quæ antea latebant.

His suppositis, dubitari potest in primis de actibus fidei intellectualibus, an omnes sint eiusdem speciei infusæ. Affirmant aliqui, quos sequitur Suarez disp. 6. sect. 3. num. 11. vbi concludit, omnes fidei assensus esse eiusdem speciei infusæ: quia omnium ratio formalis obiectiua est vna & eadem, quod etiam docet Coninch. disp. 16. n. 18. Contrarium tamen supponit, vt certum Hurtado disp. 56. sect. 1. §. 4. dicens, vix ab illo negari. Nos etiam supra disp. 1. sect. 11. diximus, posse differre specie physica pro varietate specifica reuelationum, quas credimus; in particulari ergo videndum est, ex quibus capitibus differre possint specie.

Et primò quæri potest, an actus fidei speculatiui differant specie ab actibus practiciis. Suppono enim, fidem vtriusque actus elicere: nam assensus circa Trinitatem est omnino speculatiuus cum nihil dicat de faciendo suo obiecto, & e contra actus, quo credimus actum ponitæ effectiendum ad obtinendam veniam peccati commissi, est practicus; vt probat Coninch. vbi sup. n. 17. qui addit vtrumque esse eiusdem speciei propter vnitatem motiui formalis: Et quidem ego facile concedam, ex eo præcisè capite non variari speciem illorum actuum: aliunde tamen vix contingit, quod ij actus non differant specie, propter variationem specificam motiui formalis partialis, vt statim dicam.

Secundò ergo considerari potest diuersitas specifica in actibus fidei ex parte motiui formalis: licet veracitas Dei sit semper eadem: reuelatio tamen Dei non videtur semper esse eadem etiam in specie, vt probauit latius disp. 1. sect. 11. quam sententiam à me olim traditam amplexus est P. Hurtado vbi supra sect. 3. §. 29. & sequentibus, vbi latè probat, reuelationes ipsas Dei, quæ sunt etiam motiuum formale fidei partiale, differre specie, qui benè etiam impugnat responsiones, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, quæ afferri possent.

se duo, vel plura obiecta specie diuersa, atque adeo in assensu singulorum motuum formale videri posset esse idem specie, & numero: adhuc posse inueniri distinctuum sufficiens vtriusque actus ad inuicem. Ostendimus enim *disp. procedens* non solum concurrere ex parte motui formalis veritatem, & reuelationem Dei, sed etiam connexionem obiectuam, quæ apparet inter veritatem principiorum, & veritatem obiecti conclusionis; quæ connectio appellatur bonitas illationis obiectuæ, & est motuum formale saltem *ut quo*. Hæc autem connexio videtur esse specie diuersa, quoties vnum ex extremis, inter quæ versatur, specie diuersum est ab extremis alterius connexionis, sicut quælibet vnio physica differt specie quoties extrema, vel aliquod illorum differt specie ab extremis alterius unionis. Cum ergo connexio illa non sit obiectum materiale, sed formale, quia non creditur propter aliud, sed apparet in se: consequens est, ut quoties mysteria credita differunt specie, actus etiam distincti, quibus creduntur, specie differant: quia vel respiciunt formaliter reuelationes specie diuersas, vel saltem illationem obiectuam, seu connexionem veritatis mysterij cum veritate, & reuelatione Dei quæ connexio non sit eiusdem speciei, cum variari debeat in specie pro varietate specifica ipsius mysterij, quod est vnum extremum illius connexionis.

Vnde tertio certum videtur, quod in discursu formali fidei, quando assensus distinctus terminatur ad veritatem Dei, & distinctus ad reuelationem, ij duo differant specie inter se, cum obiectum formale vnus sit omnino diuersum ab obiecto formali alterius, nec assensus reuelationis sit propter veritatem, nec assensus veritatis sit propter reuelationem, propterea qui supponit, quod iam sepe impugnauimus: quare suppositis iis, quæ in superioribus dicta sunt, non potest dubitari de differentia specifica inter illos duos actus, qui cum ambo eliciantur ab habitu fidei, iam ex hoc saltem capite habitus fidei habebit actus specie diuersos.

Quarto dubitari potest, an actus fidei affirmantes differant specie à negantibus, v.g. actus, quo credimus Adamum non obedisse præcepto Dei. Et quidem, quando obiecta sunt specie diuersa, atque ideo reuelationes etiam vel motiua formalia; iam ex eo capite actus specie differunt iuxta proximè dicta. Difficultas esse potest, an ex illo etiam capite, quod alter sit assensus, alter dissensus, arguatur differentia specifica physica, v.g. actus, quo credimus Christum resurrexisse tertia die, & actus, quo negamus eius corpus mansisse post tertium diem in sepulchro; quorum duorum actuum obiectum materiale, & formale videtur re ipsa esse idem. Quod dubium videtur esse Philosophicum; nam qui satis probabiliter dicunt, assensum, & dissensum differe specie physica propter diuersum valde tendendi modum, quem habent, cum assensus tendat per modum prosecutionis, & dissensus per modum fugæ, seu recessus intentionalis, consequenter dicturi videntur, hanc etiam esse differentiam specificam in actibus fidei. Nec reputabunt inconueniens, quod ab eodem habitu procedant actus adeo diuersi; cum ab eodem etiam habitu charitatis procedant amor, & odium; amor Dei, & odium, seu fuga peccati, qui etiam duo actus videntur specie diuersi. Imò ab eodem etiam habi-

tu acquisito amicitie erga Petrum procedit gaudium de eius bono, & tristitia de eius malo, qui affectus videntur etiam specie diuersi.

Cæterum, quamuis id consequenter diceretur, si fides posset habere actus dissensum, & qui non sint affirmatiui; videri tamen posset suppositio nem esse falsam, nec à fide elici merum dissensum, sed omnes eius actus esse iudicia affirmatiua, atque adeo ex hoc capite non esse differentiam specificam inter actus fidei. Ratio esse potest, quia actus, quos elicit fides, vel sunt circa principia, nempe circa veritatem, & reuelationem Dei, vel circa conclusiones, seu res reuelatas. Et quidem circa principia non elicit dissensus, sed assensus; *Deus est summè verax*: seu *Quidquid Deus dicit, est verum*, & *Deus reuelauit incarnationem, vel Trinitatem*, &c. Vnde nec circa conclusiones, seu mysteria reuelata videtur posse fides clicere, nisi assensus, seu actus affirmantes: quia ex duabus præmissis affirmatiuis non potest inferri conclusio negatiua, sed solum affirmatiua, ut constat ex regulis Summulisticis. Cum ergo vtraque præmissa fidei sit affirmatiua, conclusio debet semper esse etiam affirmatiua. Quod confirmari potest, quia per omnem conclusionem fidei credimus Deo? seu credimus id, quod Deus dicit propter eius auctoritatem, & testimonium: credere autem significare videtur assensum, & prosecutionem, non fugam, & recessum, qualis est dissensus: ergo omnis actus fidei debet esse assensus, & non dissensus. Quæ omnia æquè procedunt, licet fides non discurrat formaliter, sed solum virtualiter: quia in discursu etiam virtuali conclusio virtualis innitur medio, & præmissis virtualibus, quæ præmissæ mouere non poterunt ad dissensum, si vtraque sit affirmatiua circa obiecta præmissarum.

Re tamen vera non inuenio sufficiens fundamentum ad negandum in vniuersum, quod fides possit clicere dissensus, & actus non affirmantes, sed negantes, licet regulariter loquendo fortasse ille alius sit communis modus operandi in obiectis fidei. Quod dupliciter declarari potest. Primo quia possumus formare discursum fidei alio modo, nimirum: *nihil quod Deus negat, est verum*: sed *Deus negat inferorum pœnas finendas*: ergo *non est verum illas esse finendas*. In quo discursu, vel syllogismo maior propositio non est affirmatiua, sed negatiua, atque adeo ex illa, & minori affirmatiua potest inferri legitime conclusio negatiua: sicut in hoc syllogismo; *nullus homo est lapis*, *Petrus est homo*: ergo *Petrus non est lapis*. Videtur autem discursus ille ad fidem pertinere: quia motuum formale dissentendi in conclusione est veracitas summa Dei in negando falsa, seu non negando vera, quod non minus pertinet ad veracitatem, quam affirmare vera, & non falsa, item alterum motuum partiale est testificatio Dei: non minus enim loquitur, & testatur, qui negat aliquid fuisse, quam qui affirmat aliquid aliud fuisse: concurret ergo totum fidei motuum ad illum dissensum; quare tunc dissentimus fini pœnæ inferorum, cumque negamus præcisè propter veritatem, & reuelationem Dei: quid ergo deest, ut dissensus ille sit actus fidei formaliter, & propriè?

Secundo possumus hoc ipsum declarare formando syllogismum, seu discursum hoc alio modo: *quidquid Deus dicit, non est falsum*; sed *Deus dicit, Verbum esse incarnatum*, ergo *non est falsum*.

falsum, Verbum esse incarnatum; qui esto non sic discursus, & actus fidei directus, & formalis; est tamen indirectus, & æquivalens: nam idem re ipsa credit, qui credit, verum esse, Verbum esse incarnatum, ac qui credit, non esse falsum, Verbum esse incarnatum: sicut idem dicit, qui dicit, non esse tenebras, ac qui dicit esse lucem. Quare sicut possumus, & debemus credere super omnia propter diuinam auctoritatem, verum esse, Verbum esse incarnatum, quia Deus verax hoc dicit; ita possumus, & debemus credere eadem firmitate, non esse falsum, Verbum esse incarnatum: quia Deus verax id dicit. Ecce in vtroque casu dantur dissensus, tam in præmissa maiore, quam in conclusione, & pertinent ad fidem, & eliciuntur à fide. Nec obstat, omnes actus fidei debere esse actus credendi, credere autem videtur significare assensum: quia in rigore non minus credimus alicui, quando negamus quod ipse negat, quam quando affirmamus, quod ipse affirmat: credere enim est in iudicando sequi iudicium alterius: & in vtroque casu sequimur æquè iudicium Dei, vel affirmatiuum, vel negatiuum. Sicut non minus conformatur se amicus voluntati amici respuendo, quæ amicus respuit: quam prosequendo, quæ amicus profectitur; & vterque est æquè actus charitatis erga Deum.

11
An fides particularis differat specie à fide vniuersali.

Quintò dubitatur, an fides particularis differat specie à fide vniuersali: hoc est, an fides, qua quis credit, quod sibi priuata reuelatione reuelatum est, differat specie à fide, qua credit articulos toti Ecclesiæ communes. De hoc diximus disp. 1. sect. 11. eundem habitum extendi ad vtrâque reuelationem amplectendum: si tamen priuata reuelatio proponatur cum talibus motiuis credibilitatis, quæ obligent ad credendum. Rursus si illi duo assensus ex parte motiui formalis saltem partialis differant specie iuxta regulas traditas, non erit difficultas. Dubium solum esse potest, an ex hoc præcisè capite, quod sit reuelatio priuata, vel communis refundatur differentia specifica in ipsos assensus. Ad quod respondendum breuiter est negatiue cum Suarez disp. 6. sect. 3. num. 6. Quod enim Petrus mihi soli aliquid dicat, vel mihi, & aliis simul, non variat formaliter motiui credendi in ratione motiui, sed valde per accidens se habet, vt ego credam: non est ergo ex eo solum capite ponenda differentia specifica inter assensus.

12
Fides explicita, & implicita an specie differant? Explicita quid sit? Implicita quid.

Sextò dubitatur de fide explicita, & implicita, an differant specie. Explicita est, qua credimus aliquod mysterium explicitè, vt Trinitatem, vel Incarnationem; implicita verò dicitur, qua rusticus credit omnia in confuso, quæ Ecclesia credit, per quam de nullo mysterio in particulari potest rationem reddere. Suarez vbi sup. 4. num. 8. negat differre specie illos duos assensus. Ego tamen puto distinguere: quia licet in illo obiecto confusè credito contineatur etiam hoc aliud, quod ab alio creditur explicitè: ille tamen modus attingendi explicitè, vel confusè sufficit ad differentiam specificam, vt constat in duabus cognitionibus, quarum prima terminetur explicitè ad rationem communem animalis; altera verò ad rationem hominis; quas duas cognitiones nemo negat differre specie inter se: nam licet ratio hominis contineatur etiam in illo conceptu confuso animalis: non tamen continetur, ita, vt possit intellectus reddere rationem de illa differentia rationalitatis: alioquin cognitio entis in com-

muni esset eiusdem speciei cum qualibet cognitione cuiuslibet entis in particulari. Sic autem se habet fides illa implicita non solum quoad obiectum materiale, sed etiam quoad obiecta formalia fidei, nempe quoad reuelationes. Qui enim credit in confuso, quidquid Ecclesia credit, habet pro motiui saltem partiali omnes reuelationes, quibus Deus aliquid Ecclesiæ reuelauit, quæ reuelationes distinguuntur specie pro varietate obiecti reuelati, vt vidimus; & sicut de nullo obiecto reuelato in particulari potest reddere rationem; ita etiam nec de vlla reuelatione secundum propriam eius speciem: differt ergo assensus ille essentialiter etiam ex parte motiui ab assensu explicito circa Trinitatem, cum hic habeat pro motiui talem reuelationem in particulari de tali obiecto.

Septimò, dubitari potest de ipso habitu fidei, an sit vnus indiuisibilis, vel constet ex pluribus partialibus: de quo vltra alios videri potest late Contrich dista disp. 16. dub. 2. & Hurtado dista disp. 56. qui sect. 4. §. 46. fatetur, licet ex scriptura, aut Conciliis, vel Patribus probari non possit efficaciter, quod habitus fidei sit vnus, sufficere tamen cōsensum omnium scholasticorum, vt id non possit sine temeritate negari; & quidem verba illa Pauli ad Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma; quæ ab aliquibus affecti solent ad eam habitum vnitatem probandam, parum efficacia sunt: quia ibi Apostolus loquitur, de fide obiectiua, hoc est de doctrina credenda, quam dicit esse eandem apud omnes fideles, ita non alius hoc, alius aliud credat, sed idem omnes, vt explicuit Hieron. in eum locum Pauli. Notat autem bene idem Hurtado sect. 1. §. 4. licet Apostolus egisset de fide non obiectiua, sed formali, actuali, vel habituali, ex hoc tamen non probat vnum habitum simplicem in singulis fidelibus: nam sicut dicitur verè vnā esse faciem vtriusque fratris gemelli, quos propter summam similitudinem discernere non possumus, licet facies in singulis non sit aliquid simplex, sed composita ex multis partibus: sic posset dici vna fides & obiectiua, & formalis omnium fidelium, propter similitudinem omnium in fide obiectiua, & formali, licet vtraque fides in singulis non esset aliquid simplex, sed constaret ex multis obiectis creditis, & ex multis habitibus ad credendum: sicut de facto constat fides actualis in singulis fidelibus ex multis actibus fidei, quibus diuersos articulos credunt.

Aduerte tamen, quando fides dicitur vna in omnibus fidelibus, siue intelligatur de obiectiua, siue de formali, propter similitudinem magnam hanc tamen similitudinem posse recipere magis & minus, ita vt magis similis inueniatur inter hos, quam inter illos. Quia licet omnes eadem credant; non tamen omnes eodem modo & æquè explicitè: quare magis vna est fides inter eos, qui æquè possunt reddere rationem explicitam de eisdem. In quo sensu intelligenda sunt verba Hieronymi rom. 6. in epist. ad Titum cap. 1. super illa Pauli verba, iuxta communem fidem. Vbi Hieronymus sic ait: quod quidem melius mihi videtur Apostoli Pauli, & Titum fidem fuisse communem, quam omnium credentium: in quibus pro varietate mentium fides communis esse non putaretur. Quia nimirum Titus à Paulo eruditus habebat explicitam fidem de iis, de quibus & Paulus de quibus fideles alij non omnes poterant explicare.

citam fidem habere, & ideo magis vna, & similis videtur Hieronymo fuisse fides in Paulo & Tito.

Loquendo ergo de possibili non repugnasset, fidem habitualem constari ex multis habitibus infusis partialibus: sicut nec est contra repugnaret dari vnum habitum infusum simplicem in voluntate ad omnes actus supernaturales voluntatis, & vnum in intellectu ad omnes actus supernaturales intellectus, imò & vnum fortasse solum in anima, qui idem deseruiret ad omnes actus supernaturales intellectus, & voluntatis, sicut ad omnes naturales deseruit eadem anima. Cum enim hi habitus infusi dentur ad complendam, & eleuandam animam in ordine ad actus supernaturales; potuit hæc eleuatio à Deo fieri per plura, vel pauciora principia supernaturalia.

De facto autem, cur non ponamus vnicum habitum infusum ad omnes actus, neque etiam vnum ad omnes actus voluntatis, & cur ponamus tot, & non pauciores, nec plures dixi *disp. 1. sect. 11.* vbi aduertimus nos non posse assignare rationem aliquam à priori, aut regulam desumptam ab exigentia ordinis supernaturalis: posse tamen nos manduci à verbis Apostoli 1. ad Corinth. 13. quibus dixit. *Nunc manent fides, spes, & charitas: tria hæc, maior autem horum est charitas;* ex quibus colligimus, de facto hos tres habitus ad minus esse distinctos inter se: Nam licet potuisset Deus infundere vnum solum habitum ad omnes hos actus: de facto tamen voluit esse distinctos propter separabilitatem, ut scilicet possent remanere in peccatore fides, & spes sine charitate, & aliquando etiam fides sine spe. Ex hoc autem rursus colligimus, alios habitus infusos, inter quorum obiecta inueniatur talis, & tanta distinctio, qualis & quanta inuenitur inter obiecta horum trium, esse etiam inter se distinctos, ut seruetur eadem proportio inter omnes habitus. Supposito enim, quod Deus voluit dare plures habitus distinctos, debuit eligere eum ordinem supernaturalem, qui exigeret habitus distinctos iuxta talem, & tantam distinctionem obiectorum, atque adeo inter omnes alios habitus debet seruari eadem proportio. Vbi cumque ergo inuenitur eadem distinctio inter actus quanta inter actus harum trium virtutum, ponimus etiam habitus infusos distinctos: nec enim sufficit, actus hos, & illos pertinere ad voluntatem, ut dicamus pertinere ad eundem habitum: nam actus etiam charitatis & spei utrique pertinent ad voluntatem, & tamen ad illos dantur habitus diuersi. Aliunde vero non subdiuidimus singulas virtutes in plures, & plures habitus infusos: tum quia habitus infusi non acquiruntur per suos actus, sed dantur omnes simul ab initio cum ipsa gratia: oporteret autem infundi simul penè innumeros, si multiplicarentur, sicut possunt multiplicari habitus acquisiti per varias diuisiones, & subdiuisiones obiectorum, & motuum: quare debuerunt actus omnes reduci ad certas classes, & ad certa capita principalia, ut totidem habitus infusi darentur: tum etiam, quia verba Pauli solum probant distinctionem inter illos tres habitus, & consequenter distinctionem inter alios, inter quorum actus æqualis diuersitas inueniatur: non verò inter alios. Cum ergo aliunde non sint multiplicanda entia sine necessitate, non habemus fundamentum ad ponendam maiorem habituum infusorum multitu-

dinem, quam quæ necessaria fuerit ad seruandam vniformitatem inter illos, ut omnes alij distinguantur inter se, posita æquali diuersitate inter eorum actus, qualis est inter actus horum trium, quos Paulus numerauit, ut distinctos, quæ omnia diximus etiam dicta sectione 11. & olim in manuscriptis huius materie; & postea amplexus est, & exornauit Hurtado loco citato.

SECTION II.

Quomodo differant, credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, vbi etiam de fide miraculorum.

Hæc est alia diuisio fidei, de qua S. Thom. *quest. 2. artic. 2.* vbi aduertit, his vocibus non semper significari diuersos actus, sed diuersas connotationes, quas idem actus habere potest: nam credere Deo, significat habitudinem ad Deum, tanquam ad obiectum formale, propter quod credimus, credere Deum significat habitudinem ad Deum, tanquam ad obiectum materiale creditum, vbi obiter notandum est, litteram S. Thomæ esse mendosam transmutatis particulis Deo, & Deum, vna pro alia, & de conuerso quæ transmutatio reddit litteram difficilem, & contrariam menti Sancti Thomæ, sed est manifestus error Scriptorum, ut ex originali Tarracoenfi obseruauit Magister Franciscus Garzia in emendatione errorum in libris S. Thomæ. Denique credere in Deum significat habitudinem ad Deum tanquam ad vltimum finem, quam differentiam sumpsit ex Augustino *serm. 181. de tempore, & in tract. 29. in Ioannem & serm. 61. de verbis Domini.*

Duplex dubium occurrit circa hanc diuisionem: vtrumque tamen est mere de nomine. Primum an credere in Deum dicantur soli iusti, qui Deum diligunt, an etiam peccatores, qui vtrumque pie erga Deum afficiuntur ut credant. Augustinus vbi supra videtur negare peccatores credere in Deum. *Quid est, inquit, credere in eum? credendo amare, credendo in eum ire, &c.* iuxta quem sensum videtur etiam loqui S. Thomas, & in eodem sensu dixit Durand. in 3. d. 23. *questione 7. num. 6* per credere in Deum significari duos actus, scilicet actum fidei, & actum charitatis.

Cæterum, licet hic modus loquendi propter auctoritatem Augustini, admittendus sit, oppositus tamen non videtur alienus à communi sensu fidelium: qui omnes etiam, dum peccatores sunt fideliter profitentur, se credere in Deum; & hoc quidem non solum dicunt in persona Ecclesiæ, ut insinuat S. Thomas *quest. precedenti art. 9. ad 3.* sed etiam in propria persona, in quo etiam sensu idem Augustinus lib. de fide, & operib. cap. 14. & ultimo, & Bernard. *serm. 24. in Cantica* peccatori tribuunt fidem in Deum: qui modus loquenti sumitur ex scriptura Ioan. 12. vbi dicitur multos ex principibus credidisse in Christum, qui tamen propter metum culpabilem non ausi sunt eum exterius confiteri; & Chrysost. hom. 52. in Matth. *nihil prodest, inquit, si credas in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nisi rectè vixeris,* vbi supponit peccatores etiam credere in Deum.

Alterum

17
His vocibus non semper significatur diuersi actus, sed diuersæ connotationes quas idem actus habere potest.

18
An credere in Deum dicantur soli iusti.

19